... Cajet: Laudatio sapientiae.

LAUDATIO
SAPIENTIÆ
Circa actum Promotionis

In Tarnovienſi Academica Colonia ſub præſidentia.

M. STANISLAI MICHAELIS
WĄTORSKI,

In Generali Cracovienſi Scientiarum Univerſitate Philoſophiæ Doctoris in Colonia Academica Tarnovienſi pro tunc Dialectices & Rhetorices, Profeſſoris, ejusdemq; Coloniæ Scholarum Directoris.

per

IGNATIUM CAJETANUM
à Cieplinie
CIEPLINSKI,

Pincernidam Zytomirienſem Scholæ Rhetorices Auditorem.

Præſente Nobiliſſima Digniſſimorum Hoſpitum frequentia

Annô Domini 1765.
Die 21. Octobris.

PROMULGATA.

CRACOVIÆ
In Typog: Seminar: Epiſcop: Academ: Diæceſ:

Sapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen illius erit vivens in æternum Eccl: 37.

Melior est Sapientia cunctis opibûs pretiosissimîs, & omne desiderabile ei non potest comparari.

Prov: 8.

Si Sapientia oculîs videri posset, omnes in amorem sui compelleret. Cicero.

Sapiens ipse sibi sufficit, ipsius enim sunt, quæ aliorum sunt bona Arist. apud Diog: lib: 4.

Studiorum liberalium amaræ radices sunt, fructus autem dulces. Idem.

Studiorum salutarium etiam citra effectum laudabilis tractatio. Seneca de vita beata.

ILLUSTRISSIMO
&
REVERENDISSIMO DOM:

D. PAULO KOSICKI,

In Generali Cracoviensi Scientiarum Universitate Juris Utriusq; Doctori, Metropolitano Cathedrali Gnesnensi Canonico, Præposito Infulato Camenecensi, Custodi Łoviciensi, Dño Dño.

Omnibûs gratitudinis officiîs.

Mecænati munificentissimo cor de dilectissimo Avunculo.

Idem qui supra Scholæ Rhetorices Auditor

ut pote Sororinus

in pignus debitæ gratitudinis sermonem præsentem

D. D. D.

Quas Sapientiæ laudes coram digniſſimo Hoſpitum Conſeſſu ex Oratioria retuli Cathedra; eas Typis mandatas pace Tua Tibi eſſe jure merito duxi dedicandas. ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE MECÆNAS MUNIFICENTISSIME *Propoſiti mei ratio altera eſt, debita propenſionis meæ erga Te Literarum Literatorumq; Fautorem*

rem

*rem eximium contestatio, Alte-
ram ipsa justissima æquitatis cau-
sa evincere videtur. Optimæ namq;
laudes Sapientiæ, cùm ab omnibus
intelligi nequeant, doctas manus
occupent necesse, Tuo volunt Nomi-
ne insigniri, Tuô patrociniô foveri,
& sic in luce videri, qui non pere-
grinus, magnam partem earum
possedisti in regno literarum, Teq;
totum, vitamq; Tuam Sapientiæ
dedicâsti. Vellem hìc ego mode-
stiæ Tuæ morem gerere, vellem
virtutem & scientiam in Te indis-
solubili connexas vinculo, officiosô
venerari silentiô, attamen cùm*
MECÆNAS MUNIFICEN-
TISSIMÆ *meum pectus capti-
vâsti beneficiis, favoribus præve-
nisti vota, rectè gestis anticipâsti
desideria, liberum liberalitate sub*

legem-

legem traxisti animum, quid superest? nisi, ut Tibi hoc muniusculum offeram in pignus gratitudinis. Et licet incultô, ac penè viduatô stylô Tuas eximias attentare laudes minime congruum, inter tot meritorum acervos sese ingerere plusquam indignum non nemo judicare posset, quia tamen perbellè noverim inhumanitatis esse indicem dicendi non prodere vultum, grati animi denegare tesseram, magnæ inurbanitatis anathema esse, mei officiosissimi obsequii isthanc exhibeo promptitudinem. Merito: pridem enim is mihi erat animus, illud me desiderum, ea permovit attentio, ut quæ à Majoribus jura humanitatis accepi, quem cum lacte candorem primîs adhuc labrîs Almæ Studioum Matris suxi ab uberibus,

quam

quam ab animantibus audiet, meoq;, impreſſi pectori gratitudinem, Tibi eandem fideliùs explicarem. Equidem ſi altiùs perpendam Tuorum in me transfuſorum beneficiorum amplitudinem, video hanc fluvios ſuperare Iberos? dum non ita aureo ſcintillant lumine aſtra, irriguoq́; imbre fœcundantur arva, quàm Tua in me dimanant gratiarum fluenta, fœcundioresq́; favorum latices copiosè exundant. Inde venit, quod jam Tibi omnia mea vendices, ego quoq́; ſaltem id munuſculum in pignus tenerrimæ propenſionis in officioſam debitæ gratitudinis teſtificationem Magno Tuo Nomini dedicandum cenſui. Quidni ita? ut iſta fiant, Tua Gentilitia ſagitta ceſſit mihi in calamum, ut quos characteres

meo

meo in pectore gessi, eosdem & in hoc tenello opusculo, prima inquam glacie annotarem. Habes MECÆNAS MUNIFICENTISSIME *à Sororino tributum, quod amor intimus mandat, ipsa æquitas svadet, persolvendum, cùm enim diutiùs cogitavi; quomodo effusissimi Tui affectûs in me documenta, aliqua ex parte propensione pensarem, has Sapientiæ laudes, ut pote Amatori ejusdem pro maximo dono judicavi Tibi jure esse reddendas. Novi equidem maximopere Sapientiam Tuo in Capite: velut auro optimo suam fixisse stationem quam per ardua, nam sub Cruce Sceptriferæ Matris adeptus, ita sub utroq; Polo commendâsti eam gloriosè, ad tantam sublimâsti gloriam, ut Te hi, etiam*

diffi-

difficillimorum negotiorum Ponderatorem justissimum, illi in Spiritu Eliæ zelantem pro honore Dei Mystam, hi redivivum in transgressores Legis Divinæ Paulum illi verò Te Virum secundùm Cor Dei esse dixerint. In Quo elucescit candor animi, innocentia vitæ, solida scientia, cæteræq; dotes laudatissimæ. Quas quidem vellem ego MECÆNAS MUNIFICENTISSIME *pro inextincto Tui erga me amore, ipsaq; æquitate vocalioribus, celebrare calamis, verùm enim verò dum mei ingenii non permittit tenuitas, brevis charta non sufficit: dum inquam Tuorum beneficiorum ubertas sublimem etiam excedit stylum, summa probitatis majestas omnes Rhetoricos interdicit colo-*

res.

res, penitus me verba deficiunt, recondo eas sub rosa silentii. Animdverte nonnisi MECÆNAS MUNIFICENTISSIME hoc documentum cordis mei addictissimi, quod si nihil Te dignum præter Sororini affectum eô invenies, ignosces: Ampliora in pectore meo vivis exarata literis, quàm in ist hac pagina leges, quæ cum nequeant arctari periodîs, bujusce paginæ comprehendi marginibûs, hæc tantùm in pignus inextincti amoris meo inscribo pectori.

- - - - Dum lumen solare tenebo.
Serviet officio spiritus iste Tuo (a)
Hæc mihi semper erunt imis infixa medullis.
Perpetuusq; animæ debitor hujus ero.

Spi-

(a) Ovidius lib: 5. Tristium.

Spiritus hic vacuus prius exte-nuandus in auras.

Ibit & in tepido deseret esse rogo.

Quàm subeant animo merito-rum oblivia nostro.

Et longa pietas excidat ista die.

Dii Tibi sint faciles & opis nul-lius egentem.

Fortunam præstent dissimi-lemque meæ. (b)

Ita animitus opto.

ILLUSTRISSIMÆ & REVEREN-DISSIMÆ DOMINATIONIS VE-STRÆ MECÆNATISQUE grati-osissimi Corde Dilectissimi Avunculi,

humilimus servus
Sororinus suppedaneus.

IGNATIUS
CIEPLINSKI,

(b) *Idem. Libro 2do Tris.*

LAUDATIO SAPIENTIÆ.

EQuousq; tandem ſupino torpeſces in otio, ? quousq; molles lenocinantis auræ captabis favonios, ? quousq; inter illecebroſas diuturnæ quietis difflues ætheſias, ? florida Juventus, quousq; infami in ignavia tibi deliteſcendum putabis ? mollis deſidia in ligno cariem, in panno tineas, ruinam in ædibus, ſterilitatem in agro, memphytim in aqua, in àére peſtes, rubiginem in ferro generat. Mollis deſidia naturæ pudor, mater inopiæ,

gnorantiæ magiſtra. Mollis deſidia nox ingenii, vivi hominis ſepultura, verbo:

- - - corrumpit inertia mentem
Non ſecus ac pigro têllus neglecta colono,
Nec verſata diu nullis exercet ariſtis
Torpet & in cultis ſterileſcit languida glebis.
Ac tribulis horret, Sylvam & inane minatur. *Maſsenius.*

Excutite, excutite, generoſæ animæ cymmerias tenebras! ad eruditos Phœbi ſplendores enutriti Sarmatarum Aquilii umbram procul fugate voluptatum! Excutite iterum dico ſervile inertiæ jugum libertatis Polonæ aſſertores! & anhelantibûs votîs, enixîs conatibûs, quærite primò Sapientiam. Enimvero ſive orientem, ſive occidentem ſpectaveritis; quis eſt mortalium? cujus non arrideat palato literaria eruditio, qui guſtum non ſentiat Sapientiæ, & omnibûs vitæ commodîs pretium ejus non præponat. Nihil eſt, inter opes tam gratum, nihil inter voluptates,

tam

tam jucundum, nihil inter desideratissimas res tam amabile quod sapientiæ fructus, suo non excedat valore, suâ non superet excellentiâ. Vincit illa aurum, omnia metalla & lapides pretiosos excedit, supereminet gazis, & insuper cæcum fortunæ Numen se pronum adorat, atq; sibi vectigal solvit & tributum. Quocirca hocce consistenti in loco, cùm à Majoribus, quorum authoritate atq; arbitrio nostra omnia nituntur studia mandatum esset, ut redeunte Promotionis die, quo ùt fieri assolebat, noster hic musarum cœtus, altiores humaniorum artium gradus capessere consveverat, de præstantia Sapientiæ aliquid publicè dicerem, quo studentium animi ad ejus incitarentur amorem, vix suscepti muneris provinciam, cum viribus meis solicitè comparare volo, arduum ùt concipio aggredior opus, meritoq; verendum mihi arbitror. Etenim si eloquentissimos olim viros accepimus, cum ad dicendum venissent, unius Auditoris aspectu, ita conturbatos

fuisse, ut obmutescerent, quid mihi in præsentiarum sperandum duxerim? qui neq; comparandus cum iis omnino sum, ad quos dum oculorum converto aciem, totidem mihi eruditione, atq; doctrinâ insignium auditorum consessũ videor intueri. Verùm enim verò, ita ne jam pro laudibus Sapientiæ verborum laborabitur defectus? ita ne vocales exedræ pro vectigalibus Sapientiæ tacebunt elogiis? ita ne ditissimus sapientiæ thesaurus, numerîs carebit Oratoriîs? sufficit suæ laudi Sapientia, non est tam inaccessus in terris locus, tam ab omni hominum remotus consortio, quò non hujus præstantissimæ virtutis fama pervaserit. Nullus est defactò populus, nulla hominum natio, tam immanis, vel tam in exculta artibus, quin eam non modò jam pridem Orbis Dictatricem in Curia, Legisperitam in Foro, Bellonam in campo Mavortis, Esculapiam in animis, Imperatricem in Regnis, Consiliariam in Tribunalibus, esse concluserit, quin non modò gloria & splen-

do-

dore ejus nominis, ſed uſu, quod præcipuum eſt, plurimum ſibi commendationis eveniſſe ſenſerit? Jam itaq; cauſæ huic libens accedo, neq; mihi quid ad collaudandam Sapientiam ſeligendum, vel dubitandum puto, cùm ſtudiîs in me, & locum iſtum authoritate atq; incredibili benignitate veſtra confirmor. Dicam planè & ſinè colore verborum & ſuco Sapientiam Diſpenſatricem eſſe honorum in præſentiarum deducam. Auguror non defuturam mihi eſſe opimam rationum ſegetem, qua ſumma dicendorum proventum in egregiis adoleſcentibus excitet modo aſſenſu veſtro in verba mea inſuite, & attenti à voce perorantis non recedite.

Trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quiſq; maximè honore ducitur. AA. Nullus enim tam abjectæ mentis homo, qui ſtudiò laudis, quive dulcedine honoris non tangatur, quametſi ex humillimis petatur. Eapropter animus hominum magnus honorum appetitor eſt, ita, ut nemo adeò ſit averſus à Muſis, qui

non

non mandari versibus nomen suum patiatur, nemo reperiatur, qui susceptis laboribûs, aditîsq; periculîs honorem non quasi rerum gestarum desideret præconem, nemo existat, qui sinè magna spe immortalitatis se se pro Patria offerat, qui cum laude atque virtute satìs sit versatus, sine eminendi cupidine. Optimi cujusq; animus, maximè hunc ad finem anhelat, ad hanc prædam quivis supplices extendit manus. Non crassa inferorum caligine, non igneis amnibûs, non vadîs stygis refusis, non solido adamante vinctis oribus, arcetur, non furiarum cubilibûs ab appetitu honoris deterretur. Ardua quidem est, qua itur ad honores via, ruimus tamen per invia metæ nescii, quia potiùs cum Julio in imo positi loco primatum eligimus, quàm imponimur curuli, sanguine sedamus ardentem regnorum furorem, sceptra turbidîs mercamur ausibûs, tingimus atro Regia Paludamenta tabô, morte graves emimus Tyaras, dicam clarius! honorem in armis statui-

mus,

mus, quasi verò pulchrior honos qui in sanguine natat? Causam ejusmodi inquiritis? en quēq; accēdit honor, excitat eminēdi ardor, certatim, hac semita tenditur, quæ ducit in altum. Sed o honorem horrorem satiùs nominandum, qui cum effuso promanat cruore, nec aliter surgit nisi sumptuosa Regnorum cadant humisternenda fortalitia. Fatalem nimiumq; morti affinem quis non dixerit ejusmodi esse dignitatem quis illud fastigiū non esse fastidium autumaret? quod non unum redigit ad incitas, qnod suo possesori ultimam minatur ruinam. Illas ego tentare svaserim præeminentias, illa cordi admovenda distinctionum culmina vehementer optarim, quæ sinè periculo vitæ comparantur. Talibûs tamq; facilè quæsitis, quis est? qui non conetur eminere honoribûs, quis est deinceps, qui eos in conclavi Sapientiæ repositos, non inveniat? Quod anima in corpore, vita in anima, in vita vigor, Sol in Cœlo, lux in Sole, radius in luce, ramus in arbore, me-

dulla

dulla in ramo, in medulla fructus ardor in igne, in ardore flāma. in flāma acies, in tota humani corporis cō page caput hoc esse in universo populi statu: eruditionē decidatis, quæ licèt sit abscondita quidem ab oculis aliorum, volucres Cœli lateat, viam tamen planam. & publicam eligit sibi in mediis semitis, stans in foribus Civitatis, ut ab omnibus possit inveniri, ut ve ad ingeniorum partus, & mentis conceptus, reddat Honorios universo. O quàm magnum Cælorum per datam nobis Sapientiam concessum beneficium, nam quid quæso per Deos! illâ optabiliù s? quid præstantius? quæ pro Apollinari Laurea aurea Regnorum coronamenta, pro Rostris, Regale Ostrum, pro Scholasticis Fastis, Imperiales fasces, pro Philosophico Pallio, paludatum Regni solium, pro Poëtico Plectro, dat Sceptrum ingeniis eruditis, ita, ut frequens sit gradatio, supremos Imperiorum conscendere gradus, continua multis commutatio, pro Mercurii Galero,

Re-

Regio caput redimire diademate. Magnam utilitatem universo Orbi adfert Sapientia, quam colligere libet ex Democriti sensu, qui animae Sedem in capite assignavit. Quod si lædatur cerebrum, caput gravi sauciabit dolore tollat hostis Literarii Licinius, de medio Reipublicæ sapientiam, mox sine illa tacebunt studia, silebunt Scholæ, extinguentur scientiæ, emorientur artes, marcescet Juventus, langvescent Viri, putrescent senes, concitabitur plebs, rebellisabunt Cives, despicietur senectus, conculcabuntur sacerdotes, transibunt in feras homines, Civitates in latibula, Judicia in rapinas, libertas in audaciam, Templa in Fora, Fora in Sylvas, non tam ferarum, quàm efferatarum mentium transibunt, tota deniq; Respublica sinè honore sese visendam prostituet. Equidem Sapientia complectitur animi magnitudinem & justitiam, ut omnia, quæ homini accidant, infra se esse judicet. Quippe si congruenter naturæ, convenienterq; vivere

quemq;

quemq; nostrum oportet? si sapere rectè, sapere ad justitiam, in aprico immortalis honoris videri pro suo genio cuiq; volupe? sola clamitans in plateis Dispensatrix Honorum sapientia, ejus sponte sese ingerens manibus, illum & in naturæ bonis perficiet, & ad titulorum apices, elevabit. Quod si documentô opus? provoco huc ex Peripatho, antiquioris sæculi scientiarum oracula, nimirũ ex Academiis Isocrates, Athenis Divinos Platones, ex Collegiis Apolonios, ex Rostris Tullios, ex publicis Theatris Senecas, aliosq; conspicuos Sapientiâ viros in testimonium apello. Quis quantusve à Regibus cultus quæ à Principibus reverentia quis ab omni mortalium statu sapientibus viris datus olim honos, delata æstimatio? satìs orando recensere non possum. Omne hominum perpendamus genus, Sapientiæ illud cumulari beneficiis, fulciri robore, erigi gloriâ procul dubio comperiemus. Imo verò percurramus mente, in accessa Regum Augustalia, Metropoles, Urbes,

bes, maria, portus, Insulas, & littora, & perpendamus num sit virtus in bello? num in pace religio defectu Sapientiæ? perpendamus quid Seleucus? nonne hunc ob summam Sapientiam Vespasianus amantissimus Literatorum Princeps ad intimam sui familiaritatem admisit, nonne ad honores suscepit. Revocemus in memoriam, quid Thelephanes, nonne eum Sapientia Imperatorum admovit diademati. Namq; quid immanius illô Syciliæ portentô orbis habuit, nihilominus Platoni comite Sapientia in suam venienti Domum, misit obviã navem, tum eũ in littore albis excepit quadrigis. Quid atrocius post memoriam hominum Phalaride immanitatem toto halante pectore? attamen Stesichoro insignito Sapientiâ Templum ædificandum curavit, svasitq; illi summos honores in Urbe Patria exhibendos. O admirandam Sapientiæ vim, quæ tantùm potest, quantũ nemo, vel ingeniosissimus cogitatione fingere, vel incitata voluptate valet optare. Illa enim præeunte, itur

ad

ad venerandum magni auguſtal honoris, illa annuente ſupremas eminentiæ conſcendimus majeſtates, cujus fortunatiori allucente ſydere, in ſereniſſimo illuſtriſſimorum Honorũ ambulamus lumine, & veluti Sydera primæ magnitudinis refulgemus. Illa namq; Diſpenſatrice ſublimes nobis conferuntur curules, Mareſchalcales ſcipiones, Ducales Clavæ, Archiepiſcopales Cruces, Epiſcopalia peda, Illa Duce ad Tyaras erudita attolluntur capita, doctæ ad coronam Frontes, ſolertiſſimi ad mitras animi invitantur. Idcirco: avidiori mentis indagine ſi quærat orbis? cur Plato totam peragravit Ægyptum? nonne ob amorem Sapientiæ, cur Pythagoras tot barbarorum luſtravit Provincias, tot maria transfretavit? ob amorem Sapientiæ, cur Anaxagoras à regendis Civitatibus, totum ſe ad cognitionem rerum transtulerat, ob amorem Sapientiæ. Ita defacto: ob amorem Sapientiæ, illa Græciæ prodigia Licurgi, Thaletes, Mileſii neglexerunt patrimonia, deſeru-

ſeruerunt Domos, dereliquerunt Liberos, amicis abrenuntiârunt, & inquilinis, intimos ſe ejusdem cultores agnoſcendo; ob amorem Sapientiæ. Felix nundinator ille Crates aurum projecerat in mare, ut omnibûs mundi theſauris pretioſiorem ſibi comparâſſet, ob amorem Sapientiæ Democritus lumen oculorum ſponte amiſit, quò acutiùs vidiſſet eandem, quaſi hac ſola contentus cæco numini ſuum nunquam exhibiturus obſequium. Et bene Diſpenſatricem enim Honorum Sapientiam nemo eſt, qui non æſtimet, nemo qui eâ cunctis vitæ ſuæ momentis oblectetur. Siſtat ſe huc Brutus, qui tanto ejus flagraverat ardore, ut ea nocte, quæ ejus anteceſſit mortem Platonis Dialogum de immortalitate animæ legiſſe aliquoties diceretur. Prodeat in memoriam Chriſippus, qui ſæpe ſtudio intentus, tanta voluptate perfruebatur, ut eum tanquam extra ſe poſitum cibi & potûs caperet oblivio. Prodeat in Campum ſolertiſſimus ille cœleſtium orbium non perſcrutator tantùm, ſed

etiam

etiam imitator Syracusanus Arhimedes, qui ita defixus in ſtudio erat, ut priùs hoſtilis gladii cuspidem corpore exceperit, quàm urbem in hoſtium poteſtatem veniſſe ſentiret. O dignam æviternis annotandã voluminibus actionem! Devaſtabatur Urbs, undiq; gladiorum fulgor perſtringebat oculos, penê ſuis mota ſedibus, ſuorum incolarum in cruore natabat, cùm unius hominis mens, in media Civitate, ipſius Civitatis, non ſentiebat caſum. Poſtremo ſuis ſurgat de cineribus Solon, qui licet ii fuiſſet jam proximus morti, inaudiſſetq; diſputantes amicos, erecto ut potuit ſemimortuo capite, petiit eos, ut clariùs loquerentur, aliquid adhuc in ſtudio Sapientiæ profecturus. Ita eſt quotquot Cultorum addictiſſima poſſedit pectora, quotquot fideles ad ſua vota inclinavit affectus Diſpenſatrix Honorum Sapientia, tot ſibi nolle ab ea ſeparari notum eſt. Deficeret me in enumerando dies! nam quo longiùs in altum provehor AA. eò mihi patentior oſtenditur oratio-

nis

nis curſus, cumq; id difficile aggrediendum puto quod & cauſæ præſentis magnitudini & loci majeſtati & ſervandæ gratitudini magnopere convenire, & ego libens fateor & vos minimè diffiteri aut diſſentire perſpicio, tumq; ſola temporis me ratio, & veſtra ſingularis patientia, ut vela contraham monet.

Vos vos nonniſi alloquor Sarmatarum Aquilii, Juvenes Nobiliſſimi quorum animi ad obtinendos Honores fervidîs nituntur paſſibûs. Eja nunc a campis ad Urbes, à rure ad gymnaſia, à foris ad Academias, à nitrato Gradivi pulvere, ad Scholaſticum, à gaudiis ad labores, à deliciis ad impenſos Ingeniorum ſudores convolate. Excutite animum, reaſumite vires, aures aperite, levate oculos, ſerenate frontem, attollite caput, parate manus, aptate calamos, Apollinis emulemini ſagittas perquam Reges regnant, Imperatores imperant, triumphant Principes, præcurrite alacriter Diſpenſatricem Honorum Sapientiam, cujusmodi cauſa non ſeri-

ceum

cum Alexandri tapetem, non Romanorum more aurotextam supponite culcitram sed quod ei Parnassia rupes, aut dura Heliconis petra providebit. Recogitate vobiscum! quàm felices una cum Patria vestrum futuri sitis, quos titulorū obtenturi gradus dum.

Ad summum: sapiens uno minor est
Jove dives,
Liber honoratus pulcher Rex deniq;
Regum. (a)

Desudetis inquā cnm Democrito, incolite Peripathos cum Pythagora, castè cùm Cypriano, sobriè cum Cleanthe, insomnes cum Diogene noctes ducite & vivite. Cum jam Aristoteles Lycæum, Astalus Philodolphus & Ptolomæus divites aperiant Bibliothecas, doctæ Platonis arrideant thasses, anhelantia Demosthenis phneumata, extrema emorituri Orbis excitent suspiria, nec non in admirationem Vos rapiant primæ Pelamedis literæ. Empedoclis vobis svadeat eloquentia, cùm in sepulchris Sapientum reconduntur exuviæ

(a) Horat. lib. 1mo Epist. ad Mecæn.

viæ Senecæ. Lucani & Claudiani Roma, Virgilii Brundusium, Ovidii Pontus, teneat favillas, ipsi sepeliantur tumuli, sub funeribus terra fatiscat, anhelentq; langvida effuso cruore fata, tantis cædibus unus Orbis, tanto Orbis caderi una non sufficiat tellus, in mortifera non delitescite ignavia, atras ignorantiæ non inhabitate umbras. Clarius edisseram; cùm deniq; Sapientia; Antonii, Sessoitrisq; Regis contemnat leones, utpote dignior hominum, ferarumq; Principibus, rejiciat Heliogabaldi tygrides, non ferarum, sed hominum ferociam ad humanitatis jura componens, despiciat Æmiliani cervos, ne de solo cervorum metu triumphare dicatur, Odioq; habeat Pompeji elephantes, sua non bellicarum sublimis magnitudine. Flagrantibùs desideriîs, non interruptîs votîs quærite eandem Juvenes Nobilissimi incitatîs insequimini passibûs, donec vos antiquior Inachus manuducat. Ne postmodum hæc audiantur à Vobis.

O mihi præteritos Juppiter si redderet annos
Nunc velle, Studiis invigilare meis.

Plantate plantate, inter folia librorũ Veſtræ Juventutis florem, maturum ſublimium Honoum fructum ex illo collecturi. Tarnoviano Kaſzevianæ Claſſes quibus veſtrorum vela concrediditis votorum adoptatum omnigenæ perfectionis Vos deducent portum, ac Diſpenſatrix Honorum Sapientia tam in Eccleſia DEI quàm in Sereniſſima Republica, ſupremos Vobis conciliabit Honores, quos ego Vobis animo, & corde exopto.